B. N. C
FIRENZE
1023
46

Digitized by Google

Digitized by Google

Ex legato D: Equitis Antonij Francisci
de Marmis

Piſana precatio.

AD DIVVM ROCHVM TEMPORE PESTIS TVTELAREM.

Ode Tricolos Tetraſtrophos.

Admodum

ILLVSTRI DOMINO PHILIPPO, Domini Nicolai Capponi Filio.

Vni ex præſtantiſſimis patritijs Florentinis Valde celebri.

Franciſcus Stephani Roderici Caſtrenſis Filius. Perpetua obſeruantiæ ergo. O. D. D.



FLORENTIAE, Ex Typographia Petri Neſtij. 1631.

Superiorum Permiſſu. Sub Signo Solis.

1023 . 46

AD DIVVM ROCHVM, PESTILENTIÆ TEMPORE TVTELAREM.

ODE

TRICOLOS, TETRASTROPHOS.

SAeuit per Vrbes Italicas Lues,
Sæuit per agros, nec redimunt opes
Ciuem, nec exultat potitus
Muneribus Cereris Colonus.

Mœrens ademptam flet ſobolem pater,
Qui mox eadem corripitur nece:
Multis adeſt mors, ſed nec ante
Fletibus impoſuere finem.

Linquunt ſodales tecta ſodalium,
Natis negatur condere humo patres,
Matres in amplexu ſuorum
Ad tumulum ſimul efferuntur.

Sanos, & ægros inſociabiles
Diſpergit, Orco deterior, metus:
Abſunt ſepulchrales honores,
Relligio, pietaſq; cedunt.

Herbis Apollo ſi veniat ſuis,
Morbum furentem vincere non valet,
Non fabuloſas ſi Machaon
Exhibeat medicando vires.

Non ſecta febrem vena refrigerat,
Non extrahuntur ſemina lurida
Morbi, nec extinguit venenum
Andromachi ſenioris Vrna.

Nunc eſt agendum nobilioribus
Armis, vt alto præſide tutior
Sit Ciuitas Piſana, rebus
In dubijs, operoſa ſemper.

Sed quis tonanti vota precantium
Portabit, aut quis rurſus ab æthere
Dulces reportabit Fauoni,
Queis animus recreetur, auras?

Te ROCHE priſcis edite regibus,
Qui dulce mœſtis auxilium paras,
Quem peſtis agnoſcit potentem
Supplicibus lacrymis precamur.

Contagioſi perniciem mali
Expertus olim, te remouens procul,
Solum timebas, ne latente
Inficeres alios veneno.

Nil iam ſalutis ſollicitus tuæ
Cœlo remittis quid fieri velit,
Res mira, Cœleſtis ſalubrem
Inſtituit tibi cura victum.

Sed non coquinæ delitijs alit,
Faſtidienti non variat cibum,
Tranſmittit, a menſa potentis
Quem rapuit canis ore, panem.

Non eſt malorum congerie miſer,
Quem ſummus, alto conſilio, fouet
Rector, nec immanes dolores
AEthereos animos refringunt.

Aetas priorum peſtiferam tulit
Labem, mederi nec poterat malo;
In te reponit ſpem, tuoq;
Auxilio releuata gaudet.

Si nos tuetur ROCHVS amabilis,
Nullus laboris ſit timor, aut dolor,
Hic belluam fræno domabit,
Quæ populos furioſa vaſtat.

Speremus almi præſidium Dei,
Nec fulminantis nos furor ætheris
Deterreat, turmas precantes
In melius referente ROCHO.

Piſana tecum, ROCHE pijſſime.
Gens vult paſciſci ſuſcipe, protege
Sic inuicem faſtorum in albo
Se penitus tibi dedicabit.

FINIS.

1033.46

MC

Digitized by Google